

25, 27

# Jahresbericht

über

das vereinigte alt- und neustädtische

# Gymnasium zu Brandenburg

von Ostern 1867 bis Ostern 1868,

verfasst

von

**Dr. Niemeyer,**

Director



Voran geht:

De Electrae Sophocliae versibus aliquot commentatio. Scripsit Dr. Antonius Seyffert.



BRANDENBURG.

Buchdruckerei von J. Wiesike.

1868.

96r  
4

227

# Jahresbericht

des Gymnasiums zu Brandenburg

# Gymnasium zu Brandenburg

von Ostern 1807 bis Ostern 1808



Dr. Niemeyer,

Die Rechte vorbehalten, dieses Buch ohne schriftliche Genehmigung des Verlegers zu drucken.

BRANDENBURG

Buchdruckerei von J. Wiese

1808



DE ELECTRAE SOPHOCLIAE VERSIBUS  
ALIQVOT COMMENTATIO.

SCRIPSIT DR. A. SEYFFERT.



THE NATIONAL ARCHIVES  
COLLECTION OF DOCUMENTS  
RELATIVE TO THE  
AMERICAN REVOLUTION

El. v. 158 sq. *κρουπιᾷ τ' ἀχέων ἐν ἱβᾷ*  
*ὄλβιος, ὃν ἅ κλεινὰ*  
*γαῖα ποτὲ Μυκηναίων*  
*δέξεται ἐνπατρίδαν, Λιδὸς εὐφροσι*  
*βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν.*

De his vv. nuper commentatus est Mauricius Hauptius, vir summus, in Indice Lectt. Univ. Berol. aestiv. 1865 et ita commentatus est, ut eo critici officio, quo nullum antiquius est, egregie, ut solet, perfunctus sit. Etenim ex sententiarum cohaerentia, unde omnis vel interpretatio vel emendatio initium ducere debet, id effecit, ut demonstrarit et ἀχέων nomen esse, cum κρουπιᾷ coniungendum, id quod antea iam Godofred. Hermannus statuerat, recentiores vero nonnulli ut Nauckius Dindorfius alii ut perversum reiecerunt, et Λιδὸς εὐφροσι βήματι nec per se recte dici posse neque ita emendari, ut in eo divini numinis ac voluntatis insit cogitatio. Unde coniecturas hoc loco pro βήματι a doctis viris propositas, ut *ρείματι* a Georgio Burgessio, quod Nauckius ab illo receptum probavit, et *λήματι* a Meinekio, recte mihi ille et refutasse et improbasse videtur. Postquam enim chorus venturum esse aliquando Orestem dixit — haec fere est illius viri ratiocinatio — ita respondet Electra, ut propter cunctationem Orestae de eius reditu desperet. Quodsi hunc ad Iovis, non ad ipsius fratris voluntatem retulisset chorus, profecto nec ea, quae respondet Electra, satis cum chori carmine cohaerent, nec chorus habuisset quod desperantem Electram subsequentibus deinde versibus 173—184 ad Iovis et divini numinis cogitationem vocaret:

*Θάρσει μοι, Θάρσει, τέκνον.*  
*ἔτι μέγας οὐρανῷ*  
*Ζεὺς, ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατίνει.*

His rationibus ductus Hauptius hanc proposuit coniecturam, qua Iovis nomen prorsus sublatum est: scripsit enim

*ὄλβιος, ὃν ἅ κλεινὰ*  
*γαῖα ποτὲ Μυκηναίων*  
*δέξεται ἐνπατρίδαν, ποδὸς εὐφροσι*  
*βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν.*

Liceat mihi huius tanti viri auctoritati meam qualemcunque sententiam ea, qua par est, modestia opponere. Etenim cum animo perpendo requiroque, unde ducta sit haec tam certa chori promissio, qua reducem fore aliquando Orestem et a Mycenensibus receptum spondet, in eo, quod addit confirmandi causa *ἐνπατρίδαν*, non satis causae video inesse, cur laeto gradu Orestes re-

petiturus patriam speque receptus vocetur. Haec laetitia sic demum iusta videtur esse, si non solum ad reditum receptumque in patriam, sed etiam ad regni restitutionem spectat. Ad regni spem autem ipsa *εὐπατρίδου* appellatio accommodari non potest, potest *εὐπατρίδαν Διός*. Sevoco igitur nomen *Διός* a societate verborum *εὐφρονι βήματι* coniungoque cum verbo *εὐπατρίδαν*. Regnum enim non ad omnes nobiles, sed ad eos, qui a Iove orti sunt, iure et legitime pertinet: hinc reges regumque filios constat *διογενεῖς* vel *διοτρειεῖς* vocari. Erat autem Orestes Iovis pronepos et hereditario iure regni Mycenensium, in quod Aegisthus invaserat, possessor: hoc igitur se, cum adolevisset, recepturum cum gratia suorum civium laeto animo sperare poterat. Itaque Iovis commemoratio nunc non ad divinum auxilium vel voluntatem, sed ad originem ac stirpem Orestae referenda est. Quod ad verborum coniunctionem attinet *εὐπατρίδαν Διός*, etsi simili exemplo a me confirmari non potest, tamen in se cur reiciatur nihil habet; proximum est loquendi genere quod dixit Sophocles Oed. Col. 1383 *ἀπάτωρ ἐμοῦ*, eodemque nescio an referri possit *ὁ Διός Ἀλκμήρας κόρος* Trach. 644. cf. G. Dind. h. l. Ad rem quod attinet, comparari potest Medea Euripidis v. 405 edit. Nauck. appellans sese *γεγῶσαν ἐσθλοῦ πατρὸς Ἡλίου τ' ἄπο*.

Alter locus, quem idem Hauptius l. l. breviter perstrinxit magis quam copiose pertractavit, legitur v. 495 sq. in optimo codice Laurentiano A. sic:

πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει  
 μήποθ' ἡμῖν  
 ἀψεγὲς πελᾶν τέρας  
 τοῖς δρωῖσι καὶ συνδρωῖσιν.

Dici vix potest, quot quam variis coniecturis hi versus vexati sint; Hauptius quidem emendationem, quae nulli successerit, effici arbitratur infinitivo *πελᾶν* in coniunctivum mutato et duplicata ex apographis *μήποτε* particula, in hunc modum

πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει  
 μήποτε, μήποθ' ἡμῖν  
 ἀψεγὲς πελᾶ τέρας et q. s.

i. e. „vereor ne prope sit eis qui facinus perpetrarunt adiuveruntque portentum a nobis non vituperandum.“ Atque ut aperte dicam quod sentio, nunc mihi vir summus contra ipsius praeceptum, cuius paullo ante p. 7 l. l. admonuerat, ne quis singula tantum verba poetae rimaretur, sed totius carminis inter se cohaerentes sententias mente complecteretur, nescio quo pacto fecisse videtur. Nihil dico locutionem *ἔχει με* talem esse, quae neque *θάσος* subiectum vel *ἐλπὶς*, ut scholiastam secuti multi volunt, neque *φόβος*, ut Hauptius, subaudiri patiat: nam quod comparant vel *παρίσταται μοι* cum infinitivo vel accusativo cum infinitivo vel *ἐπέρχεται* aut *εἰσέρχεται μοι* (*με*) similiter structum, haec valde diversa esse et subiecti notionem, cogitationem scilicet, ipsa verborum vi suppeditare facile apparet, quo etiam factum est, ut communi Graecorum consuetudine tam trita essent quam in Latino sermone verbum „subit“; praetereo porro, quod rem admodum dubiam illa coniectura pro certa ponit: nam si non omnino negari licet, praesentis forma *πελᾶ* abstinuisse poetas Atticos, ut negat Elmsleius, at Sophocli tamen ea abiudicanda esse videtur, quandoquidem et Oed. Col. v. 1060 vere Scholiastes *πελᾶσι*



interpretatur *πελάσσοι*, et hoc Electrae loco futurum *πελᾶν* recte se habere demonstrari poterit; haec igitur et alia, quae displicent, omitto; hoc unum dico hanc chori sententiam, qualem Hauptii coniectura exhibet, nec cum re et veritate nec cum chori mente animoque convenire. Quae enim res magis inter se contrariae sunt quam metus, ne quid mali alicui, qui male fecit, accidat, et certa fiducia (*θάρασος* v. 478.) fore ut merita pro nefario scelere poena aliquem consequatur? Itaque si metueret chorus, ne prope esset nefariis hominibus portentum, benevolum quendam ac sollicitudinis plenum erga Clytaemnestram et Aegisthum animum prae se ferret, id quod totum ab eius mente iisque, quae modo de iusta iniustae caedis iniustique matrimonii poena dixerat, alienum est. Quorsum deinde spectat istud propinquum portentum? Cum omnis cogitatio chori in somnio illo Clytaemnestrae, a Chrysothemii vv. 417 sq. narrato, posita sit ex eoque propinqua vindictae spes ac fiducia ducatur, quis est qui *τέρας* nomen, id quod eius vis ac potestas ipsa suadet, non ad somnii potius prodigium quam ad mirificam vindictam ipsam referre velit? Haec igitur reputanti mihi primum hoc extra dubitationem positum videtur, fiduciam chori ex somnio illo profectam, quam in stropha nefariae caedis cogitatio excitaverat, nunc in antistropha iniecta etiam nefarii conubii mentione non minui, sed augeri atque vehementius accendi debere, ut ne eis quidem assentiar, qui *θάρασος* nomen verbis *πρὸ τῶνδὲ τοί μ' ἔχει* adiciendum existimant itaque repetunt, quod idem chorus in stropha v. 478 dixerat, multo vero minus eis, qui etiam lenius nomen substituunt, velut Nauckius, qui *δοκῶ δὲ τοί μ' ἔχει* scribendum censet, aliique, quos praeterire malo quam reprehendere. Itaque, si quid video, hoc vel tale aliquid debet addere chorus, se pro tantis sceleribus exploratum habere prodigium (*τέρας*) i. e. somnium ratum fore. Quodsi vera esset emendatio vel Bergkii — is enim inventionis laudem ad se vindicat — vel Guil. Dindorfii *ἀψεφές* scribentium pro *ἀψεγές* sic:

*πρὸ τῶνδὲ τοί μ' ἔχει* (Bergk. *μένει*)

*μήποτε, μήποδ' ἡμῖν*

*ἀψεφές πελᾶν τέρας* et q. sq.: —

quae emendatio nuper assensum tulit Bernardi Arnoldi, Monacensis, in libello, quem ambitioso, ne dicam inepto nomine inscripsit 'Sophocleische Rettungen', qui totum hunc locum sic vertit pag. 46: „Dafür wird denn doch; so hoffe ich zuversichtlich, und zwar niemals uns unerwartet, eine Wunderbegebenheit (sic!) nahen den Thätern und den Mithelfern —“: si igitur haec vera essent, chorus, id quod incredibile videtur, sententiam admisceret non modo inutilem, sed ne cohaerentem quidem cum eis, quae antecedunt. Quid enim, quaeso, refert, provisumne sit a choro prodigium an improvise accidat? aut quid de sua eius rei cura antea commemoraverat? Adde quod huius vocabuli *ἀψεφές*, quod Hesychius (*ἀψεφές· ἀφρόνιστον. Σοφοκλῆς Φαίδρα*) et grammaticus in Bekkeri Anecd. p. 476, l. omisso tragoediae nomine testantur, admodum incerta fides est: nam quae ex penetralibus litteraturae, ut Lobeckii verbis utar, afferuntur ab Hesychio ad hoc verbum et eius composita ac derivata spectantia, quae quidem composuit Mauric. Schmidtus T. IV. p. 307 s. v. *ψέδειν*, ea tantis involuta tenebris tamque inter se pugnantis sunt, ut grammaticis et lexicographis ea relinquere quam inferre in optimum poetam Sophoclem satius videatur. Quod cum ita sit, satis mirari non possum eam emendationem, quae et per se facillima sit et poetae vel chori voluntati vel plurimum re-

spondeat, Schneidewini dico, a nullo posteriorum editorum collaudatam aut receptam esse. Quid? quod Nauckius, qui post mortem illius viri partes eius suscepit, ita illius emendationis meminit, ut alteram partem, quae plurimum evidentiae habet, ne commemoret quidem (*ἔτοιμ' ἔχει*). Itaque ego, qui eam ex Ottonis Jahnii adnotatione cognovi, ne scio quidem quomodo ab ipso auctore explicata sit. Est autem haec:

*πρὸ τῶνδ' ἔτοιμ' ἔχει  
μήποτε, μήποθ' ἡμῖν  
μαψεπές πελᾶν τέρας  
τοῖς δοῶσι κ. τ. ἔ.*

quae sic libet interpretari: pro his facinoribus manifestum est nunquam nobis mendax venturum esse prodigium (non hoc ipsum, de quo agitur, sed omnino aliquod) eis, qui ea perpetrarunt adiuveruntque. Haec denique sententia talis est, in qua nihil insit vel obscuritatis vel dubitationis: ita omnia et inter se et cum antecedentibus aptissime congruunt; hanc igitur pro certa amplecti, hanc dignam, quae oblivioni eripiatur, praedicare nihil dubito. Quid autem fecit Schneidewinus? syllabas, ut saepe, male divulsas in ordinem redegit (*δέ τοί μ' in δ' ἔτοιμ'*), litterulam propter similitudinem antecedentis omissam (*α'* post *ν*: nam in Laur. A uno versu scripta sunt *μήποθ' ἡμῖν α'* [*ψεγές*]) adiecit: quo quid potest esse facilius? quid felicius? Quae quidem alii viri docti commenti sunt, velut Martinus, Gustavus Wolffius, quorum hic textus verba sic detorquenda esse censet: *πρὸ τῶνδέ τοί μ' ἔχει — θάρασας, ὃ μήποθ', ἡ μὴν — ἀψεγές πελᾶν τέρας κ. τ. ἔ.*, ille hanc proponit coniecturam: *μήποθ' ἔκειν — ἀψεγές μέλαν τέρας*, haec profecto mihi non digna videntur, quae gravioribus argumentis refutentur. Atque quod ad singula attinet illius Schneidewini coniecturae, cui palma deferenda est, *ἔτοιμ' ἔχει* eodem redit quo *ἔτοιμον* vel *ἔτοιμά ἐστιν* licetque cum eo conferre *ταυτὸν ἔχει* i. e. nihil interest Eur. Orest. 308. edit. Nauck. et *τὰναντία ἔχει* i. e. contra se habet Demost. Phil. III. §. 41; de significatione locutionis, quae non modo certum consilium, ut Eur. Herc. Fur. v. 86: *λέγ' εἰς τὸ κοινόν, μὴ θανεῖν ἔτοιμον ἦ*, sed etiam rem manifestam declarat, satis constat ex Homero: cfr. Odyss. VIII, 384 *ἦ δ' ἄρ' ἔτοιμα τέτυκτο*. Adde quae Schaeferus ad Dionys. de Comp. verb. p. 24 de locutione *ἐν ἔτοιμῳ τι λαβεῖν* i. e. pro manifesto habere exposuit. *Μαψεπής* autem vocabulum, etsi aliunde confirmari nequit, tamen et recte formatum est (cfr. *ἀμειροεπής* Hom., *ἀδνεπής* Soph. alia) et simillimum est Homericis Hymn. Merc. 546 *μαψιλόγοισι πιθήσας οἰωνοῖσι*; eodem pertinent quae idem Schneidewinus attulit, *μαψιλάκας* ex Sapphone, *μαψίφωνος* ex Hesychio; mendacia visa dixit Cicero de Div. II, 62.

Atque ut modo Schneidewino adfuius ad honorem, quem iniuria ei detrectasse videbantur, vindicandum, sic nunc placet antiquioris etiam viri memoriam immerito oblitteratam repraesentare, Canteri dico, in vv. 363 sq., qui sic proditi sunt a libris MSS.:

*ἐμοὶ γὰρ ἔστω τοῦμὲ μὴ λυπεῖν μόνον  
βόσκημα τῆς σῆς δ' οὐκ ἐρῶ τιμῆς τυχεῖν.*

Respondet haec Electra sorori, quam illa vv. 328—340 ut contractis velis navigaret (*μοι πλεῖν ὑφειμένη δοκεῖ*) et cum potentioribus querendo lamentandoque expostulare desineret admonuerat. Dixerat autem antea Electra haec: nihil se lucri facere, si a querendo desisteret: nam



vitam, quamvis nunc mala sit, sibi tamen ad victum suppeditare; quod autem matrem et Aegisthum querellis offenderet, id se facere pietatis et patris necati honoris causa, cui soror iniuriam faceret, quod cum interfecto-ribus eius sibi, ut dixerat, invisus viveret; quare sibi haberet victus abundantiam mensaeque lautitias: iam sequuntur illa verba, quae transcripsimus, quae si hanc sententiam haberent, quam libri et unus ex Scholiastis volunt: *τοῦτο μόνον ἐμὲ βόσκειτο, τὸ μὴ λιπεῖν ἐμὲ αὐτήν, εἰ τοῖς φρονεῖσι τοῦ πατρὸς πείθεσθαι ἀναγκασθήσομαι*, per se quidem nihil haberent quod vituperaretur: nunc autem in eum sententiarum ordinem, quem modo demonstravimus, non recte quadrant, qui ordo talis est ut profiteri Electra debeat, se in suo rerum statu acquiescere atque ex hoc ipso solacium animique pabulum quaerere neque appetentem esse honoris, quo soror utatur. Quod si dixisset *ἐμοὶ γὰρ ἔστω τὰ μὲν μὴ λιπεῖν μόνον βόσκημα*, omnia plana ac perspicua essent: sed statu suo se contentam esse etiam antea dixerat Electra et nunc parum dixisset, nisi cum statu suo id, quod multo maius est, vitam i. e. morem et consuetudinem agendi in luctu positam pietatis causa erga patrem suscepto complexa esset; hoc igitur inest in Canteri, quam supra laudavimus, coniectura *τοῦμὲ μὴ λιπεῖν μόνον*, facta illa, ut testatur Lobeckius ad Aiac. p. 312 ed. I, etiam a Taylora ad Lys. T. V. p. 9 et Wakefieldio Silv. Crit. III. 143, quorum nullam, ut ait vir maximus l. l., apud interpretes mentionem inveniēbam. Vult igitur Electra manere, quae est, nec desciscere a se ipsa aliena concupiscens se indigna i. e. recte faciendi conscientia delectari quam hac ommissa officium negligere et ab aliis ornari mavult. An tu negas hanc coniecturam, quae ipso dicendi acumine et brevitate insignis sit, omnibus numeris praestare ceteris, quae cum in eandem sententiam factae sint, nihil tamen vel proprii et arguti vel propter corrigendi licentiam probabile habent, ut Schneidewini *τοῦμὲ μὴ λήγειν γόων* vel Nauckii *τῶνδε μὴ λήγειν γόων* vel Maur. Schmidii *τοῦμμένειν λύπη μόνον* vel Arnoldi, quem supra nominavi, *τοῦν ἐμῇ λύπη μένειν*, quae omnes si cum Canteri emendatione comparantur, explicationes potius grammatico dignae, quam ab ipsius poetae ingenio profectae videntur. Sed ut haec contrarii, quod debet inesse in vv. 363, 64, rationem quodammodo habent, ita aliae, ut Fr. Guil. Schmidii Anal. p. 25 *τοῦμὲ μὴ ἀλιτεῖν μόνον* vel Theod. Bergkii *τοῦμὲ μὴ γυυπτεῖν μόνον* (ex Hesychii glossa *γυυπτεῖν ἀσθενεῖν, μαλακίεσθαι*), quamvis per se laudabiles videantur, tamen oppositas inter se notiones amplectendi et spernendi, quas aegre desideramus, prorsus tollunt. Talibus autem luminibus sententiae, ut ita dicam, refertam esse totam Electrae orationem recte monuit planeque demonstravit idem Arnoldus l. l. p. 41, qui in eam rem affert haec: *πατρὸς* (341) — *τικτούσης* (342), *λελῆσθαι* — *μέλειν* (342), *κείνης* — *ἐκ σαντῆς* (344), *φρονεῖν κακῶς* (345) — *φρονοῦσα* (346), *λέγεις* (347) — *ξυνέρθεις* (350), *δίδαξον* — *μάθ'* (352), *κακῶς* — *ἐπαρκούντως* (354), *λυπῶ* (355) — *τιμὰς προσάπτειν* (356), *τούτους* — *τῷ τεθνηκότι* (355), *μισεῖς* (357) — *ξύνει* (358), *λόγῳ* (357) — *ἔργῳ* (358), *ἐγὼ* (359) — *σοὶ* (361), *πατρὸς* (365) — *τῆς μητρὸς* (367). At operam ludimus: nemo Graecorum in hanc sententiam *λείπειν ἑαυτὸν* unquam usurpavit. Quod ita verum est, ut tamen nostro iure contendamus, scriptorem, qui *λείπειν τὴν αὐτοῦ φύσιν* dixerit (Phil. v. 902), eum etiam concisius et argutius dicere potuisse *λείπειν ἑαυτὸν*. Apud Latinos quidem trita ac pervulgata sunt in hunc modum a se discedere, ut sit sui dissimilem fieri aut totum mutari (cfr. Cic. de Div. II, 55,

114. Brut. LXXIX, 273. de Fin. V, 11, 33) vel a se ipsum desciscere (Cic. ad Attic. II, 4, 2) vel deserere sese (Caes. Bell. Civ. I, 75).

Nunc redeo ad servatorem illum vel, quod plenius sonat, sospitatorem Sophoclis — nam sic se appellari ipse quodammodo voluit — Bernhardum Arnoldum, qui quamquam plerumque servantior est eorum, quae codicum auctoritate nituntur, multasque Electrae scripturas antea ab aliis temere impugnatas non male defendit, tamen ipse quoque si quam necessitatem aut a linguae legibus aut a sententiae ratione impositam viderat, ad emendandi conatum coniecturamque confugit, quod quidem negotium nonnunquam minus ei successisse paucis exemplis mihi in animo est probare. Ac primum ut ab errore maxime memorabili incipiam, sic ille paedagogum loquentem facit v. 1328 sq.:

*ἢ νοῦς ἐνεστίν οὔτις ἑμὶν ἐγγενής,  
οὔτ' οὐ παρ' ἀλλοῖς (vulgo παρ' αὐτοῖς), ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς  
τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γινώσκετε;*

Etenim paedagogus, qui nuntio de Orestis morte perlato in vestibulo domus regiae remanserat caveratque, ne quid consilii, quod Orestes moliebat, ad aures domesticorum perveniret, exiens nunc domo non sine asperitate quadam verborum ac paene rustica vehementia Orestem et Electram, quod cum nimiis clamoribus laetitiae se dedant, increpat: „O stultissimi, inquit, et mente capti, nihilne vos iam facitis vitam vestram? an nulla vobis innata est prudentia, qui vos non ad tibiae — sic vult Arnoldus —, sed in ipsis malis maximis esse non sentiat? At nisi ego custodivissem, ea, quae facitis, prius in domum perlata essent quam corpora vestra.“ Tibiarum tantum ait Arnoldus apud Graecos omnibus diebus festis hilaritatisque plenis ita fuisse sollemnem, ut facile paedagogus, qui sit eius sermo vehementius pictus, tibiae imagine ἀπληστον illam, quam vocat, σὺν χαρᾷ βοῆν v. 1336 significare potuerit. Qua quidem tibiae imagine quid nunc potest depravatus, quid distortius esse? Si saltantes invenisset Electram et Orestem, non exultantes gaudio, haberent tibiae, quo spectarent: nunc paene risum movent, a quo servus agrestior ille quidem, sed in magna asperitate fidelissimus longissime abhorret. Quodsi huic sententiae meae non tantum tribuere, quantum censeo, Arnoldus volet, at illud certe concedet παρ' ἀλλοῖς ὄντες aliud quid esse quam, ut hoc utar, παρ' ἀλλοῖς παίζοντες: nam exempla, quae affert ex Oed. R. 780 παρ' οἴνῳ et Anacr. frg. 94 κρητῆρι παρὰ πλέῳ, multum differunt ab Hom. Odyss. γ, 239. 385, quibus versibus παρὰ ἔργῳ cum ἐμεναι iunctum demonstrat, παρ' ἀλλοῖς ὄντες vix dici posse nisi de iis, qui ipsi tibiis canunt: quo ex genere nonnulla inveniuntur exempla apud Passovium Lex. T. III. p. 667 s. v. παρὰ. Ut igitur hanc coniecturam necessario reicimus, ita ea, quae idem vir de aliorum vel interpretatione vel correctione disputavit, libenti animo accipimus, nisi quod paulo celerius de Bothii sententia iudicavit. Hic enim librorum scripturam παρ' αὐτοῖς explicaverat domi vestrae, quod quidem rectius scribi παρ' αὐτοῖς Nauckius vidit, sed ita vidit, ut verba in medio posita ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς τοῖσιν μεγίστοις ex interpolatione orta ideoque exterminanda censeret, quippe quae in superlative veritatis versarentur contraria iis, quae adderet paedagogus. Traiectionem quidem veritatis, qualis videatur, satis iustam excusationem habere G. Wolffius et B. Arnoldus demonstrant, sed tamen quod iidem Bothii interpretationem iccirco repellunt, quia revera Orestes et Electra ibidem domi



sint, argumentum est unum omnium inanissimum. Quid? Electra nonne ipsa professa est v. 189 sq. se inquilinam non honoratam (*ἔποικος ἀναξία*) in patris domo haberi? quid? Orestes nonne exsul est, non ante domum, quae alieni domini est, versatur? Hoc igitur argumentum nihil moramur; sed ipsum contrarium: non domi, sed in ipsis malis maximis esse, quale tandem est? Ut brevi dicam, quod sentio, formam ipsam orationis a poeta sapienti consilio accommodatam puto servo properanti et amplificando pericula vehementius deterrenti: quamobrem neque contrarium satis elaboratum et perfectum est et ipsa verba quotidianum magis sermonem quam urbanitatem elegantiamque politioem redolent. Sed tamen sententia verborum satis plana et perspicua est: qui vos non domi vestrae, sed in ipsis malis maximis esse non videatis. Etenim qui domi apud se est, is duo habet, ut ita dicam, domestica: primum ut suus dominus sit libereque quod volet agere possit, deinde ut in tuto tranquilloque sit: nam domus vel ut umbra luci forensi vel ut portus bellicis civilibusve fluctibus opponi solet. Haec autem omnia vel maxime conveniunt in id, quod nunc Orestes et Electra faciunt, qui ita agunt, quasi intra privatos parietes sint, unde nihil sermonis in publicum foras exire aut quo nihil mali extrinsecus intrare possit. Locutionem ipsam *παρ' αὐτῶ εἶναι*, domi vel in patria esse, rariorem illam quidem, sed Atticorum exemplis satis probatam esse docet Frohbergerus ad Lys. c. Eratosth. §. 33; idem Latinorum comparat apud se esse ex Cic. de Orat. I, 50, 214. Poteram, si novae coniecturae laudem mihi vindicare vellem, scripturam proponere *ἢ τ' οὐ πάραυλοί γ', ἀλλ' ἐν αὐτοῖσιν κακοῖς | τοῖσιν μεγίστοις ὄντες οὐ γίγνωσκετε* i. e. qui vos non propinquos (malis), sed in ipsis malis maximis esse non videatis idque confirmare Sophoclio more, qui nominibus cum *ἀλλή* compositis delectatur (v. Reisig. Enarr. Oed. Col. p. CXII v. 781, cuius exemplis addenda sunt *ἔναυλος* Phil. 158. *ἑμναυλος* Aegaei frg. 1. v. 2 (19 edit. Dind.): sed tamen nihil eiusmodi molimine opus esse atque in librorum memoria acquiescendum existimo. — Leviora sunt aliquanto quae nunc notabo. In precibus Clytaemnestrae ad Apollinem factis v. 650 sq. haec leguntur

*ἀλλ' ὦδέ μ' αἰεὶ ζῶσαν ἀβλαβεῖ βίῳ  
δόμους Ἀτρεΐδων σῆπτρά τ' ἀμφέπειν τὰδε,*

in quibus Arnoldus l. l. p. 46, quod apud tragicos ceterosque poetas semper *ζῆν βίον τινά* non *βίῳ τινι* inveniatur — locum enim Trachiniarum v. 168 *ζῆν ἀλμπήτῳ βίῳ* interpolatum esse —, pro *ἀβλαβεῖ βίῳ* scribi vult *ἀβλαβῆ βίον*. Nolo examinare, quo iure Dobraeus Trachiniarum locum ut subditivum damnarit; nolo Aeschylum afferre Prom. v. 384 *ἔα με τῆδε τῆ νόσῳ νοσεῖν*, quem ipsum alii vitiosum putarunt corrigendumque *τῆδε τὴν νόσον νοσεῖν*; Electrae quidem locum, de quo agimus, valde ab omnibus exemplis, quae in similitudinem vocari possint, abhorrere existimo propter adiectum *ὦδε*: hoc enim facit ut verba *ἀβλαβεῖ βίῳ* seiungi liceat a participio *ζῶσαν* et aut pro explicatione adverbii *ὦδε* haberi aut cum generali sententia *δόμους — ἀμφέπειν* confundi. Altero loco El. v. 860 sq.

*ἦχιστ' ἐπέπερ οὐδ' ἐμοῦ καταξίως  
πράξιαις οὔτε τοῦ πορεύσαντος ξένου*

novum quid et inauditum excogitavit idem Arnoldus p. 47 sq.: *ἂν* enim particulam, quam omitti



non licuisse aliorum virorum sententiam secutus iure meritoque arbitratur, scribendi vitio latere censet in verbo *καταξίως* ita restituendam:

ἦμιστ' ἐπέπερ οὐτ' ἐμοῦ γ' ἂν ἀξίως  
πράξειας οὐτε τοῦ πορεύσαντος ξένου.

Sed digna sunt auditu quae ipse dicit p. 49: "Man wird wol nicht einwenden, dass γε hiebei seine berüchtigte Rolle" — haec eius verba sunt — „als Panacee spielen müsse; es dient einfach zu der für Klytaemnestra sehr indicierten Hervorhebung ihrer Person gegenüber dem ξένος.“ Doleo me ad ista tam illustria indicia plane caecutire: vellem unum exemplum ex omni Graecitate attulisset vir doctus, in quo rebus per οὐτε — οὐτε particulas disiunctis et dispartitis alterutri aut ambabus γε additum esset: mihi quidem neque in promptu ullum est et cur non possit esse non latet, si quidem res ita distinctae paribus prorsus momenti examinantur. Quamquam nec Bothii in hoc loco coniecturam *κατάξι' ἂν* nec Schneidewini emendationem *πράξαις ἂν*, qua optativi forma apud Atticos sola usitata *πράξειας* (cfr. Nauck. Eurip. Stud. II, 51, Anm.) perperam deletur, amplectendam puto. Retinet his verbis Clytaemnestra nuntium peracto negotio abire parantem, causa autem retinendi, quam addit, non ea videtur esse, quae ἐπέπερ particula pronuntiarum possit, quae particula, ut Latinorum quoniam quidem, iis rationibus adhiberi solet, quae ex rerum causarumque praesentium vel praeteritarum natura necessariae atque manifestae sunt (cfr. Ellendtii Lex. Soph. s. h. v.). Talem hanc non esse, qua nunc utatur Clytaemnestra, facile apparet. Credo igitur vitium scribendi in voce ἐπέπερ inesse idque ipsum iisdem ad sanandum versum copiis allatis corrigendum in hunc modum:

ἦμιστ' ἐπεὶ γ' ἂν οὐτ' ἐμοῦ καταξίως  
πράξειας οὐτε τοῦ πορεύσαντος ξένου.

Περ quidem tam facile cum γ' ἂν commutari potuit ut γὰρ et γ' ἂν: cfr. h. f. v. 439 (ἀρχὴν δ' ἂν corr. a m. pr. Laurentiani A in ἀρχὴν γάρ); Ai. v. 1330 (ἦ γὰρ corr. ex εἰ γ' ἂν); de ἐπεὶ γε v. patris mei adnotationem ad Phil. v. 1092. —

Sed mittamus Arnoldum Monacensem eiusque coniecturas: nunc quoniam disputatio nostra libere vagari coepit, revocabo gressum et ad primum illud commaticum carmen, unde dissertatio nostra exierat, redibo. Acerbissima recordatione diei conviviique illius, quo et pater foedissime necatus et ipsa perdita ac profligata erat, ita accenditur Electrae animus, ut percussoribus iustas poenas imprecetur vv. 201—213. Pergere volentem interrumpit chorus monetque, ut absistat tali asperitate nolitque cum iis, penes quos potentia est, in rixam ire, quae ipsa praesentium malorum, quibus afflicteret, causa sit. Verba eius haec sunt vv. 213—220:

Φράζου μὴ πόρσω φωνεῖν.  
οὐ γνώμαν ἴσχεις ἐξ οἴων  
τὰ παρόντ' οἰκείας εἰς ἅτας  
ἐμπίπτεις οὕτως αἰκῶς;  
πολὸν γὰρ τι κακῶν ὑπερεκτήσω,  
σᾶ δυσθύμῳ τίκτουσ' ἀεὶ  
ψυχᾶ πολέμουσ' τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς  
οὐκ ἐριστὰ πλάθεν.

Qui priores versus 214—216 una interrogatione complectuntur, τὰ παρόντα putant adverbii loco positum, ut τὰ νῦν, τὰ πρώτα, alia, ἐξ autem praepositione status mutationem significari, ut οἶον vel bonorum (ἀγαθῶν ut Nauck.) vel malorum (κακῶν ut G. Wolff.) cogitandum sit. Neuter ad sententiam mentemque poetae videtur adspirasse. Quoniam ex asperitate Electrae, qua matrem et Aegisthum persecatur, omnis illius miseria oritur, nemo autem, qui quidem sanus videatur, id agit ut sibi ipse miseriam serat, quod faciebat Electra rixis cum potentioribus serendis, nihil potest videri ignorare (γνώμαν οὐκ ἴσχειν) illa nisi causam ac fontem miseriae: ἐξ οἶον igitur certe est quibus ex rebus i. e. causis (cfr. Trach. v. 671 δίδαξον — ἐξ ὄτου φοβεῖ aliaque exempla apud Ellendt. Lex. Soph. I. p. 550 sq.). Iam vero incommodissimum est adverbium τὰ παρόντα: neque enim hoc ipso tempore in mala incidit Electra, sed iam dudum in iis versatur; multo vero incommodius est attributum οἰκείας, quod anticipat causam miseriae nec potest cum ipsa interrogatione, quae illam causam requirit, ita, ut volunt, conexum esse. Quod cum ita sit, proxime a vero abesse mihi videtur Bergkiius, cum scribi vult

οὐ γνώμαν ἴσχεις, ἐξ οἶον  
τὰ παρόντ'; οἰκείας δ' εἰς ἅτας  
ἐπιπίπτεις οὕτως αἰκῶς.

Quae profecto maxime perspicua ac planissima essent, si δὲ particula quo illae sententiae vinculo continerentur planum faceret. Nam si haec est responsio οἰκείας εἰς ἅτας ἐπιπίπτεις ad propositam interrogationem ἐξ οἶον τὰ παρόντα sc. εἰσίν, quorsum δὲ particula spectet obscurum videtur. Aut igitur sic potius scribendum erit

οὐ γνώμαν ἴσχεις, ἐξ οἶον  
τὰ παρόντ'; οἰκείας εἰς ἅτας  
ἐπιπίπτεις οὕτως αἰκῶς.

i. e. non reputas quibus ex rebus praesens condicio nascatur? A te ipsa parta sunt mala, in quae tam foede incidis: nam ita οἰκείας initio positum id continet, in quo responsionis caput, ut ita dicam, vel summa posita est; aut si cui haec abruptoria videntur, facillima litterarum mutatione statuta lenior et aequabilior fluet oratio, si pro ἐπιπίπτεις restitues participium ἐπιπίπτουσ' sic

οὐ γνώμαν ἴσχεις, ἐξ οἶον  
τὰ παρόντ', οἰκείας εἰς ἅτας  
ἐπιπίπτουσ' οὕτως αἰκῶς.

Nam sic licet summo iure interrogationem et responsionem quodammodo in unum conecere: non cogitas unde praesens condicio sit, cum tamen propria ac domestica mala sint, in quae incidis? Atque hoc mihi non quod a me inventum est — neque enim hanc coniecturam iam alteri prolatam esse usquam inveni — sed quod concinnius et compositione perfectius est, praefendum videtur. Sed multo difficiliora sunt ad expediendum, quae extremo carmine adduntur

τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς  
οὐκ ἐριστὰ πλάθειν.

Sententia qualis debeat esse vel potius qualis satisfaciat manifestum est: οὐ δεῖ τοῖς δυνατοῖς

*πλάθειν ἐρίζοντα*: quae quidem quomodo ex verbis, ut a libris prodita sunt, elici posset, vehementer sese torserunt interpretes. Vulgo interpretati sunt et hodie quoque interpretantur scholiastam secuti *ταῦτα δὲ, ἃ πρᾶνεις, οὐκ ἐριστὰ τοῖς κρατοῦσιν ἐσιν, ὥστε πλάθειν αὐτοῖς*, quamquam iam Hermannus monuerat haec non modo structura verborum impedita sed ne sententia quidem sana atque integra esse. Neque enim quae sit illa res non altercabilis ex communi ac non definita locutione *πολέμους τίκονσα* intellegitur, et si esset una aliqua ac certa, non de hac tantum re, sed omnino non esset altercandum cum potentioribus. Adde quod plane absurdum est istud additamentum infinitivi *πλάθειν*: quem sive ad consilium sive ad effectum retuleris, ita rationi repugnat, ut contra dici debuerit *οὐ πελοστέον τοῖς δυνατοῖς ἐρίζειν*: nam non altercamur, ut appropinquemus, sed ut altercemur, appropinquamus. Quamobrem Godofred. Hermannus novam explicandi viam ingressus novam verbo *πλάθειν* notionem addidit et *τάδε* scribendo haec verba cum antecedentibus in hanc sententiam coniunxit: tua animi tristitia semper rixas ciens, ut haec cum potentioribus non altercabilia expostules; haec quod chorus diceret, de caede Agamemnonis et conubio Aegisthi et Clytaemnestrae intellegendum esse. At ita sumpsit aliquid Hermannus, quod probari nequit: *πλάθειν* nihil aliud est quam *πελάζειν* eandemque vim vel intransitivam accedendi vel transitivam admovendi habet. Quod si illam emendationem veram esse statueremus, sic certe deberemus interpretari: ut haec cum potentioribus non altercabilia iis admoveas. Sed in his multa insunt quae displiceant. Primum eodem vitio affecta sunt, quod Hermannus ipse in vulgari interpretatione notavit, quod non de his tantum rebus sed omnino non altercandum est cum potentioribus; deinde pronomen *τάδε* ad eas res, quas vult Hermannus, relatum et ipsum obscurius est, quam ut ferri posse videatur. Postremo universa sententia et propter infinitivum, cuius ratio non ita facilis est, et propter transitivam verbi *πλάθειν* potestatem ab elegantia dicendi, qualem in Sophocle admiramur, abesse videtur. Quare ad coniecturam confugiendum existimo scribendumque

*πολὸν γὰρ τι κακῶν ὑπερεκλήσω  
σὲ δυσθίμω τίκονσ' αἰεὶ  
ψυχῆ πολέμους τὸ δὲ δεῖ δυνατοῖς  
οὐκ ἐριστὶ πλάθειν.*

Iam omnia plana atque expedita sunt: *τὸ δὲ*, ut saepissime apud Platonem (v. Stallb. ad Apol. p. 23. A. Heind. ad Theaet. 157, A.), iis, quae non recte vel dicuntur vel aguntur, veritatem opponit et fere idem valet, quod Latinorum quod contra; *δεῖ* facile potuit in *τοί* transire atque ita voci *δυνατοῖς* accommodari; adverbium denique *ἐριστὶ* ne audacius a me fictum esse clames, et multa in his inveniuntur semel dicta (v. Reis. ad Oed. Col. p. CC sq. et Lob. ad Phryn. p. 514 sq.) et facillime α littera cum ι commutari potuit: cfr. ex hac fabula in cod. Laur. A v. 653 *εὐήμεροῦσαν* et *εὐήμεροῦσιν*. 1304 *λυπήσασι* et *λυπήσασα*. Itaque recte chorus eis, quae facit Electra, reprehendens haec opponit: sed (quod contra) necesse est ad potentiores non rixando accedere.

Transeo hinc ad chori carmen alterum v. 1058 sqq., in quo difficultates insunt maximae. Primum in antistropha v. 1070 sqq. fama, quae ab hominibus etiam ad inferos pervenit, haec iubetur Atridis adferre:



ὅτι σφίη ἤδη τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσεῖ.

\* τὰ δὲ πρὸς τέκνων διπλῇ  
φύλοτις οὐκ ἔστ' ἐξισοῦ-  
ται φιλοτασίῳ διαί-  
τα. πρόδοτος δὲ μόνα σαλεύει  
Ἥλέκτρα τὸν ἀεὶ πατρὸς  
δειλαία στενάχουσ' κ. τ. ἔ.

In his vv. etiam hodie inveniuntur, qui τὸν ἀεὶ putent ellipsi explicandum esse τὸν ἀεὶ χρόνον, id quod recte fieri nego. Quae enim exempla adferuntur in hanc rem (a Passovio Lex. T. IV. p. 2521. s. v. χρόνος), ea aut neutrum adiectivi habent aut pronominis, ut ἐκ πλέονος, ἐν τῇ πρὸ τοῦ, ἐξ ἐκείνου, διὰ μακροῦ, aut corrupta esse aliunde demonstrari potest. Nam Trach. vv. 79 sqq.

ὡς ἢ τελευτήν τοῦ βίου μέλλει τελεῖν,  
ἢ τοῦτον ἄρας ἄθλον εἰς τὸν ὕστερον  
τὸν λοιπὸν ἤδη βίοτον εὐαίων' ἔχειν

tam inutilia sunt ac non ferenda verba εἰς τὸν ὕστερον propter sequens illud τὸν λοιπὸν βίοτον, ut ea ab librario lacunae explendae causa illata esse censeat Guil. Dindorfius et ideo delere maluerit. Mihi quidem scribendi vitio admodum vulgari (v. Elmsl. ad Med. 67. 726. Valck. ad Phoeniss. 538. Pors. ad Hecub. 1206.) comparativus permutatus videtur cum superlativo scribendumque

ἢ τοῦτον ἄρας ἄθλον ὡς τὸν ὕστατον  
τὸν λοιπὸν ἤδη βίοτον εὐαίων' ἔχειν

i. e. aut hoc labore tamquam ultimo suscepto reliquam iam vitam tranquillam agere vult. Altero autem loco Oed. Col. v. 1584, ubi interroganti choro: ὅλωλε γὰρ δύστηνος; respondet nuntius:

ὡς λελοιπότα  
κεῖνον τὸν ἀεὶ βίοτον ἐξεπίστασο,

qui τὸν ἀεὶ explicant in aeternum (vitam reliquisse), ii non intellegunt, quam difficile verba τὸν ἀεὶ βίοτον in diversas structurae partes distrahantur. Quod cum nec Hermanni interpretatio probari possit, qui τὸν ἀεὶ βίοτον vitam explicat, quam semper egit, nec Mudgii coniectura ὡς λελογγότα — τὸν ἀεὶ βίοτον, quae in Graecorum tragicos poetas inferret, quod in scriptis ecclesiasticorum usu venit, aut Meinekii coniectura erit recipienda ἐκεῖνον ἄρτι βίοτον, aut, quod mihi facilius videtur

ὡς λελοιπότα  
ἐκεῖνον ἀεὶ βίοτον ἐξεπίστασο.

Nam ἀεὶ, ut Latinorum perpetuo, pro ἐς ἀεὶ dici docet Ellendt. Lex. Soph. I. p. 23 sq. Utut est, locum certe non talem esse existimo, unde aliquid firmamenti repeti debeat ad fulciendam Electrae scripturam, in qua explicanda nunc versamur. Hanc qui coniectura sanare conati sunt, remediis fere aut inutilibus aut vehementioribus usi videntur. Ut Arnoldus, quem supra nomi-  
navi, in Aurora ista Bavarica I, 1, p. 74, elisa longa vocali voluit Ἥλέκτρῳ, αἴσαν ἀεὶ πατρὸς

| *δειλαίαν στενάχουσ'*, quod defendi putaret simillimo scilicet exemplo Euripidis Iphig. Taur. 1313 *Ἰριγένει'*: quamquam hic error illi est communis cum Heathio, qui proposuerat *οἶτον ἀεὶ πατρὸς* | *δειλαία στενάχουσ'*. Nec vero licet Electrae nomen tamquam glossemate illatum cum Nauckio removere sic: *ἅ παῖς πότιμον* (vel *οἶτον*) *ἀεὶ πατρὸς* κ. τ. έ.: nam cum duae sorores secernendae sint, utra esset *ἅ παῖς*, quis intellexeret? Bergkii vero coniectura *Ἠλέκτρα, πότιμον ἀεὶ πατρὸς* κ. τ. έ. in eo vitiosa est, quod *ἀεὶ* synicesin non admittit; Dindorfii autem *τὸν ἐὸν πότιμον* | *δειλαία στενάχουσ'* valde ambigua est: neque enim Electra tam suam ipsius sortem quam patris luget. Nec magis placet Hoffmanni inventum Anall. gymnas. Austr. V. p. 539 *τότ' ἀεὶ πατρὸς* | *δειλαία στενάχουσ'*, quod si satis elegans esset, mallet equidem *τόδ' ἀεὶ πατρὸς* — *στενάχουσ'*. Ut igitur dicam, quid mihi a sententiae rationibus maxime requiri videatur: cum sororum rixa eo processisse dicatur, ut ad familiaritatem amicitiamque coire iam nequeat, sed proiecta ac prodita Electra sola tamquam navis in alto iactetur patris vicem perpetuo lugens, nihil magis desidero ad integritatem sententiae quam, quod domo exclusa id facere Electra cogitur, quod ipsi antiquissimum est. Atque hoc quidem semper vel ipsa Electra vel chorus vel Clytaemnestra commemorat, ut v. 108 sq. *ἐπὶ κοκκιῷ τῶνδε πατρῶν* | *πρὸ θυρῶν ἡγὼ πᾶσι προφωνεῖν*. v. 155 *οὔτοι σοὶ μόνω, τέκνον*, | *ἄχος ἐφάνη βοιωτῶν*, | *πρὸς ὃ τι σὺ τῶν ἔθδον εἰ περισσά*. v. 328 *πρὸς θυρῶνος ἐξόδοις* | — *φωνεῖς* — *φάτιν*. v. 516 sq. *ἀναιμένη μὲν, ὡς ἔοικας, αὐτὸ στρέφει* οὐ γὰρ πάρεσι *Ἀγισθοσ*, ἧς σ' *ἐπιχ' ἀεὶ μὴ τοι θυραίαν γ' οὔσαν αἰσχύνειν φίλων*. v. 802 sq. *τήνδε δ' ἔκκοσθεν βοῶν* | *ἔα τὰ β' ἀδύτης καὶ τὰ τῶν φίλων κακά*. Hinc igitur suspicio suborta mihi est, Sophoclem scripsisse *πρόδοτος δὲ μόνω σαλεύει* | *Ἠλέκτρα* κτὸς, *ἀεὶ πατρὸς* | *δειλαία στενάχουσ'*. Iam ut etiam de initio antistrophae verbum adiciam, maxime arridet mihi Lachmanni emendatio *τὰ μὲν ἐκ δόμων νοσεῖ γᾶ*, quam si probamus, universi loci sententia haec erit: (nuntia) et urbem iam ex domestico regno ipsis laborare et mutuam liberorum pugnam non iam componi amico convictu, sed proiectam Electram solam foris iactari et q. s. *Δόμον* ut saepe de regno paterno dictum (cfr. Fr. G. Schmidt. Anal. p. 62; eiusd. de ubert. or. Soph. II. p. 13 et p. 33.). In hoc autem laborat civitas propter Orestis, legitimi heredis, mortem: quo spectat etiam exclamatio chori v. 1413. audita Clytaemnestrae caede: *ὦ πόλις, ὦ γενεὰ ταλαίνα*, — dicit aequales suos — *νῦν σε* | *μοῖρα καθαμερία φθίνει φθίνει*. Quod cum ignoraret Arnoldus in libello, quem dixi, p. 55 sq., quamvis recte vidisset geminatis per *ὦ* interiectionem vocativis res genere coniunctas ac propinquas significari, tamen cum *γενεὰ* vocativum ad Aegisthum et Clytaemnestram, non ut debebat ad civitatis sobolem referret, erravit scribique voluit *ὦ δόμος*, *ὦ γενεὰ ταλαίνα* κ. τ. έ. — In altera eiusdem carminis stropha laudatur a choro Electra, quod, cum sola destituta neque fratris aut sororis auxilio adiuta sit, tamen ad exstinguendum domesticum piaculum vitam in discrimen det atque ita nobilitatem generis declaret: nam

οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ἂν  
 ζῶν κακῶς ἐκλειαν αἰσχῦναι θέλοι  
 νόνημος, ὦ παῖ παῖ  
 ὡς καὶ σὺ πέγγλαντον αἰῶνα κοινὴν εἶλον,  
 τὸ μὴ καλὸν καθοπλίσασα δύο φέρειν ἐν' ἐνὶ λόγῳ.  
 σοφά τ' ἀρίστα τε παῖς κεκλησθαι.



Quicumque ad hunc locum interpretes adgressi sunt, quae tandem esset sententiarum ac rerum cohaerentia, minus videntur attendisse. Ac primum hoc tenendum est, non mori velle Electram simpliciter, sed ita ut duplicem, ut ait chorus, furiam sustulerit (*διδύμαν ἑλοῦσ' Ἐρινόν* v. 1080). Nimirum in pugna cum Clytaemnestra et Aegistho suscipienda periculum erat ne, si minus bene cessisset inceptum, ipsa interiret. Itaque laudat chorus puellam, quod ista molens turpi vita diutius nolit honestatem generis inquinare. Ambiguum esse quod dicit chorus *ζῶν κακῶς ἐκλείων αἰσχῶναι* quis non videt? Potest enim significare et miseram vitam, quae luctus et aerumnarum plena sit, et turpem vitam, quae bono et nobili homine indigna sit. Fit autem ut utraque notio in Electrae condicionem quadret atque conveniat, quae et omnibus vitae iucunditatibus et lautitiis in paterna domo orbata erat, quod quidem saepius conqueritur (cfr. v. 185 sqq. 597 sqq.) et vero servae loco habebatur propterea, quod indignitatem matris, quam cum adultero in patre necando communicaverat, ferre nolebat. Quam duplicem verbi *κακῶς* vim chororum nunc voluisse ex iis, quae addit, plane mihi perspicere videor, cum diligentius considero, quid sit *πάγκλιαντον αἰῶνα*, quid *τὸ μὴ καλόν*, quorum illud ad mortem, hoc ad Clytaemnestram et Aegisthum qui referunt, interpretandi artificio mirum in modum abuti videntur. Scilicet mortem nunc esse *αἰῶνα* attributum *κοινόν* ostendit. Quid tandem? vita, quae proprie vocatur, minusne communis est hominum quam mors? Quid? vita, quam tum vivebat Electra, nonne ipsa quoque *πάγκλιαντος* erat? igitur miseram vitam pro misera vita sumpsit? quo nihil profecto potest esse ineptius. Et cur tandem mortem poeta iis verbis significaret, quibus videretur sicut Euripides philosophari velle, qui incertum esse ait, num haec vita mors, mors autem vita sit? Quod autem attinet ad *τὸ μὴ καλόν*, quocumque modo statuis de verbo *καθοπλίσασα*, qui possunt illo homines notari, cum oppositum sit *κακῶς ζῆν*? Ut igitur brevi dicam quod sentio, si vera est scholiastae interpretatio: *καθοπλίσασα καταπολεμήσασα καὶ νικήσασα*, quod ipsum plerisque haud iniuria dubium videtur; sed fac verum esse: iam intelleges, credo, vitium inesse in voce *κοινόν* idque potissimum causae fuisse quin verum, quod mihi nunc non latere videtur, agnosceretur. Scripserim equidem duabus modo litteris permutatis

ὥς καὶ σὺ πάγκλιαντον αἰῶνα κοινὰ θ' εἶλον  
τὸ μὴ καλόν καθοπλίσασα δύο φέρειν κ. τ. ε.

i. e. ut tu quoque praetulisti miserrimam vitam simul et turpitudinem profligando duplicem ferre laudem, ut et sapiens et optima filia praedicareris. Etenim sapiens est Electra, quod luctuosae vitae (*πάγκλιαντον αἰῶνα*) finem facit, optima filia, quod se indigna (*τὸ μὴ καλόν*) pati ut ingenuo patre nata diutius non vult. *Κοινὰ* adverbio usus est Sophocles Antig. v. 546 *μή μοι θάνης σὺ κοινὰ*. (Ai. v. 577 *τὰ δ' ἄλλα τεύχη κοινὸν ἐμοὶ τεθάψεται* dubium est, sed admodum probabilis coniectura Reisigii Oed. Col. v. 1751 sq. *ἐν οἷς γὰρ | χάρις ἢ χθονία ξὺν' ἀπόκειται* [libri *ξυναπόκειται*] | *πενθεῖν οὐ χρεῖ*: i. e. ii, in quibus gratia, quae inferis pro morte debetur, simul in sepulcro deposita est, lugendi non sunt.) Ac ne collocationem particulae *τε* crimineris, vulgari quadam poetarum, maxime tragicorum, traiectione commune utriusque membri *πάγκλιαντον αἰῶνα τὸ τε μὴ καλόν καθοπλίσασα* verbum *εἶλον* alteri membro interpositum est, cum proprie sic deberet *εἶλον πάγκλιαντον αἰῶνα*



